



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Formularium Episcopale**

**Barbosa, Agostinho**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Formula Cl. Mandati procurae Episcopi nominati per Regem nostrum ad se obligandum de solvendis mediis annatis antiquarum pensionum super Episcopatu auctoritate Apostolica impositarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

portunis, sub hypotheca & obligatione omnium, & singulorum bonorum suorum mobilium, & immobilium, spiritualium, & temporalium, presentium & futurorum, ac qualibet alia juris, & facti renuntiatione ad hæc necessaria pariter, & cautela. Super quibus omnibus & singulis præmissis idem Dominus constituens sibi à me Notario publico Apostolico infrascripto unum, vel plura, publicum, seu publica fieri petiit & confici instrumentum, seu instrumenta. Acta fuerunt hæc in civitate, vel oppido N. sub anno, die, mense, indictione, & Pontificatu quibus supra, presentibus ibidem protestibus N. & N. & N. in dicta civitate, vel oppido commorantibus ad præmissa vocatis, & rogatis, & dictus Dominus constituens mihi Notario cognitum suo hic se subscripsit nomine &c.

## FORMULA CI.

*Mandati procura Episcopi nominati per Regem nostrum ad se obligandum de solvendis medijs annatis antiquarum pensionum super Episcopatu auctoritate Apostolica impositarum.*

**I**N nomine Domini, Amen. Præsentem publico instrumento cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod anno à Nativitate &c. *Siga como el deariba*, personaliter constitutus Reverendissimus D. N. electus & presentatus per Serenissimum D. nostrum

Philippum Hispaniarum Regem Catholicum ad Ecclesiam, & Episcopatum N. omnibus melioribus &c. fecit, constituit &c. ita tamen quod specialitas &c. videlicet Dominos N. N. &c. specialiter, & expressè ad dictum R. D. constituentem, ipsiusque bona spiritualia, & temporalia, ac fructus, redditus, & proventus dicti Episcopatus N. in ampliori forma Camera Apostolicæ latissime extendenda obligandum ad solvendum omnes, & quascunque pecuniarum summas & quantitates, atque alia quæcunque jura quomodolibet debita, ac debenda, tam Cancellariæ, & Camera Apostolicæ quam illarum officialibus ratione annatarum pensionis, seu pensionum super fructibus dicti Episcopatus N. reservatæ seu reservatarum tempore quo, ac in eventum in quem prædictæ pensiones, seu earum aliqua quomodolibet extinguantur seu vacare censeantur, ad favorem dicti R. D. constituentis, & intra sex menses à die extinctionis & vacationis hujusmodi, ac desuper quascunque scripturas ac instrumenta cum clausulis, vinculis, cautelis, & obligationibus necessariis, & opportunis stipulandum, ac stipulari faciendum, & infirmandum, quæ ex nunc, prout extunc approbat, & valeant, & ita firma sint, ac si ipse R. D. constituens ea faceret, & stipularet, eisque præsens, & personaliter interesset, juramenta quæcunque si necesse fuerit in animam ipsius R. D. constituentis præstandum, cæteraque complendum, ad hoc necessaria, & opportuna,

portuna, ita ut ex defectu mandati præmissa omnia suum effectum sortiri non desinant, unumquoque &c. Sequatur formam mandati præcedentis usque ad finem.

---

FORMULA CII.

*Mandati procura ad consentiendum  
novis pensionibus super Episcopa-  
tu imponendis.*

**I**N nomine Domini Amen &c. Personaliter constitutus Reverendissimus Dominus N. electus Episcopus &c. specialiter, & expressè ad ipsius R. D. constituentis nomine, & pro eo, in eventum, in quem, ac dum & quando prædictus sanctissimus Dominus noster super fructibus, redditibus, & proventibus mensæ Episcopalis N. ad quam per Serenissimum Dominum nostrum D. Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, quæ de jure patronatus prædicti Domini Regis existit, præsentatus fuit, nonnullas annuas pensiones ad favorem personarum per eum nominandarum reservare constituere, & assignare voluerit, tunc, & eo casu, & non aliàs aliter, neque alio modo, constitutioni, reservationi, & assignationi pensionum prædictarum consentiendum, suos assensus, & consensus præstandum, eosque stipulandum, firmandum, ac cum solitis clausulis extendendum & jurandum informe, literarumque expeditioni consentiendum, & ad dictarum

pensionum solutionem dictum R. Dominum constituentem in ampliori forma Camera Apostolicæ latissime extendenda obligandum, & in ejus animam jurandum, quod in præmissis non intervenit, nec intervenire speratur dolus, simoniæ labes, aut quavis alia illicita pactio, seu corruptela, & alia juramenta quæcunque necessaria præsumendum, quascunque supplicationes præsentandum, cæteraque complendum &c. prosequatur quæ res in finem formarum præcedentium mandatorum.

---

FORMULA CIII.

*Juramenti cum Bullis ad Episcopum  
transmissi ad effectum illud emittendi,  
ante ejus consecrationem.*

**F**orma juramenti. Ego N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero beato Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ac Domino nostro Domino N. Papæ N. suisque successoribus Canonice intrantibus, non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quo vis quælibet colore: Consilium verò quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios, seu literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia sancti Petri adjutor ois ero ad

retinenda.